



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita P. Balthassaris Alvarez, Societatis Iesv Religiosi

Puente, Luis de la

Coloniae Agrippinae, 1616

Cap. XV. Diuinitus modum hunc orationis adijt, & insignia dona accepit ad
sui perfectionem, & proximorum auxilium

urn:nbn:de:hbz:466:1-43347

CAPVT XV.

*SPECIALI DEI VOCATIONE
modum hunc orationis adiit, & insignia
dona accepit ad maiorem sui perfe-
ctionem, & maius proximo-
rum auxilium.*



IPRIMA cum Deo D.N. con-
suetudo & familiaritas, do-
numq; quiete ac perfecte Con-
templationis hactenus propo-
sita, adeo est excelsum & emi-
nens bonum: vt quemadmodu
ipse P. Balchassar in sua Rela-
tione refert, non potuerit ad eam peruenire, nisi
speciali eiusdem Domini Vocatione; qui, quos
vult, quando, & qua ratione vult ad eam vocat: ad
quod neq; locus, nec tempus aliquod sit consti-
tutum; sed sola sanctissima eius voluntas, a cuius a *Prou. 8. 36.*
delitia sunt esse cum filiis hominum. licet cum ali-
quibus familiarius, quam cum alijs ex singulari
gratia & priuilegio, quod dicitur vocatio, hoc est
inspiratio & motio quædam, aut, affectio magna,
quam ipsi animæ, impellens eam ad excelsum
hunc orandi modum; & simul tribuens aptitu-
dinem, & facultatem ad se sequendum,
& progrediendum: neque enim omnes
ad id vocantur, neque apti sunt: neque
illis expedit, temerariè aut arroganter,
L 2 sese

fese ad id quærendum ingerere. Et quamuis aliquando ex speciali priuilegio, & fauore Domini N. ipsa infantia, aut à prima sua conuersione, repetè & vno quasi tractu ad excelsam adeo orationem, & interdum ad res alias valde extraordinarias eleuentur: vt plurimum tamen tale donum non communicatur, nisi diu & benè exercitatis oratione, quæ fit per meditationes & ratiocinationes circa diuina mysteria: ad quam omnes sancti vocantur, & inspirationibus alliciuntur, plus aut minus iuxta eorum capacitatem. Cuius rei insignis exemplum, & veluti imaginem quandam, qua res tota mirabiliter illustratur, habemus in eo, quod Moyse eiusque populo euenit prop-

b Exod. 20. 18. *b* *populus enim videbat voces & lampades & sonitum buccinae, montemq; fumantem: & perterriti, ac pauore concussi, steterunt populus, dicentes Moyse: loquere tu nobis, & audiamus: non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur. Quos Moyses consolatus est, dicens: nolite timere: vt enim probaret vos, venit Deus: & vt terror illius esset in vobis, & non peccaretis.*

c Exod. 24. 10. 16. *c* *fratrem suum Aaron & septuaginta de senioribus Israel propius secum deduxit: & viderunt Deum Israel, & sub pedibus eius, quasi opus lapidis Saphirini, & quasi celum, cum serenum esset. Cumq; ascendisset Moyses, operuit nubes montem, tegens illum sex diebus: septimo autem die vocauit eum de medio caliginis, & ingressus medium nebula ascendit in montem, & fuit ibi quadraginta diebus, & noctibus: d*

d Exod. 33. 11. *d* *loquebatur autem Deus ad Moysen inaudita familiaritate, facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum, ostend-*

ostenditque illi diuinam suam faciem cum ea claritate, qua in mortali hac vita videri potest.

HVNC in modum intelligendum, quod agitur in populo Christiano: multitudo enim fidelium, vtpote turba minus capax, aut valde occupata negotiorum varietate, vocantur tantum ad orandum vocaliter, & considerata, & quasi à longè aspicienda diuina aliqua mysteria; & illa nominatim, quæ Sanctum Dei timorem incutiunt, & seueræ ipsius iustitiæ terrorem: ne scilicet peccent, sed pœnitentiam agant, vitamque suam emendent: qualia sunt quæ fides de Extremo Iudicio, Inferno alijsque supplicijs docet; quibus Deus aliquos peccatores affecit. Alij verò sunt fideles per septuaginta seniores significati, qui à Deo vocantur, vt ad se magis accedant per exercitia orationis mentalis; & profundiores diuinorum mysteriorum meditationes affectusque magis accensos amoris & fiducia: hi perueniunt ad eius cognitionem ex operibus, quæ sub eius sunt pedibus, ex pulchritudine cæli, & stellarum, ac Planetarum: ex quibus ratiocinantes, magnalia deducunt Creatoris; & exstimulantur ad ei obsequendum eò, quòd dignus sit, totque bona ipsis largiatur: huiusmodi sunt Religiosi ac sæculares, qui ordinariam tenent orationis mentalis viam, cuius securitatem, necessitatem, & fructus ingentes fusiùs ostendemus inferiùs cap. 42. tamquam in loco ad id aptiori.

ALII tamen sunt pauci per Moysen significati, quos singulari vocatione Deus ad supremum

Orationis culmen, & cum diuina sua maiestate coniunctionem euectos, immittit in sua caelestes caligines, & talem nebulam, quæ oculos excæcat, ne res huius mundi videantur aperiunt verò, vt suum videant Creatorem, habeantque magnam cum eo familiaritatem, & consuetudinem: alij quidem plus, alij minus, prout ipse Dominus creaturis suis se communicare dignatur. Prius tamen, quàm ad supremum montis culmen eos exaltet, decem per sex dies in inferiori alio gradu, in quo eorum probet patientiam, ipsique sensim exerceantur, magisque disponantur ad id, quod summum est, accipiendum. Tales esse debent (vt supra est dictum) Magistri Spiritus, qui tanquam alter Moyses Christianum populum, & eos, qui hanc orationis viam tenere statuerunt, gubernaturi sunt. Talis fuit Pater noster Balthassar: quem, quia ipse Dominus sicut Moysen elegerat in ducem animarum; hunc ei fauorem, aliosque prædictos exhibuit: qui, quod sum aded insignes, operæ precium erit, fufius eos explicare, ex ijs, quæ idem P. in alijs occasionibus dixit.

§. I.

PRÆMITTAMVS igitur, tanquam fundamentum, fauorem primum, ex quo reliqui proueniunt: quod scilicet ipsum Deum quis habeat Magistrum ac directorem in Oratione, non eo tantum communi ac generaliter

nerali modo, quo vocatur & reipsa est omnium magister, docetque ac impellit omnes ad orandum; (vt 3. cap. est dictum) sed peculiari alio magis familiari, & suauiori per illustrationes, & inspirationes speciales, immittendo sanctorum cogitationum, affectuumque feruentium imbres, non laborante ipsa anima in hoc diuino cibo quærendo per mentis discursus, ac meditationes magna adhibita ad id industria & conatu. Quare solebat Pater Balthassar dicere: si Deus ratiocinationem animæ in oratione impediatur: signum esse, quod ipsemet velit esse eius Magister: ad eam enim ingredi, & ianuis clausis ad eius interiora penetrare est ipsius priuilegium; & ita eius, qui illam creauit proprium, vt neque bono, neque malo spiritui communicetur: quare id esse tutissimum, & ab illusionibus remotissimum, & pax gaudiumque quo tunc anima afficitur, indicium est eius Majestatis præsentie. Hoc ipsum clariùs adhuc notat ipse in suo libello his verbis: Quinto Februarij, 1569. cum essem in oratione matutina, & penderem detrimentum meum ex absentia cuiusdam serui Dei, hoc internè sensu: iniurius Deo est, qui agens cum ipso, existimat sibi nocere, quod deferatur ab hominibus, quando id absque ipsius culpa accidit. Et eodem die, cum facerem Sacrum, eadem cogitatione, ac dolore recurrente, cum eodem interno sensu hoc mihi occurrit: si is, qui te per hominem aliquem dirigebat, tuus uult esse Magister; & per se ipsum te doceat ac dirigere: quoniam

L 4 tibi

» tibi facit iniuriam? magnum hoc est beneficium
 » & ingentium bonorum præludium: siquidem
 » Deus breui aliquo verbo, & sententiâ mul-
 » ta complectitur ac docet: & talium oratio
 » continuata quædam ipsius Dei assistentiâ,
 » mul cum reuerentiâ, & fiducia quierâ
 » resperâ multarum veritatum intelligentiâ,
 » dulcibus bolis & suauissimis ex orbe ipsius
 » Domini reliquijs, familiaribus cum eodem
 » iucundissima eius præsentia colloquijs.

a Psal. 50.8. HINC ortum habuit secundum beneficium
 quo, vt dixit Dauid, a *occulta sua* diuinitatis,
 profundæ sapientiæ ipsi *manifestauit*, eâ ratione
 & modo, quem doctores scientiæ Mysticæ
 tradunt. Id ita scriptum reliquit ipse in e-
 dem suo libello his verbis: Primò die Martij
 » Anni 1576. cum pridie vesperi egissem cum sp-
 » rituali quadam persona de eo argumene-
 » quid esset visio intellectualis Dei, & mysterio-
 » rum eius: habui vestigium quoddam luminis e-
 » ius, quod mihi dixerat, & sensum quendam te-
 » nerum. ipsam orationem ingressus, sensi Domi-
 » ni præsentia, ratione quadam ibi manentis, vt nec
 » oculis, nec imaginatione videretur: percipiebat
 » tamen, & maiori certitudine ac perspicuitate ap-
 » prehendebatur, quàm quod oculis aut imaginati-
 » one videtur. Cuius indicia hæc sunt. Pri-
 » mum, quod hac ratione videtur, plus in ani-
 » ma efficit, quàm quod imaginamur, aut corpo-
 » raliter videmus. Deinde pacem adfert, tantum
 » solatium, vt videatur Deus D.N. animam in regni
 » suum inducere: quæ in tanta foelicitate se colle-
 » catâ videns, quam nec cogitasset, nec merita esse
 » dicit.

dicit Domino illud Davidis : *b quid est homo quod* " b psal. 8. 5
memor es eius ? quomodo visitas eum , & ipsemet "
 Christus dicit , Iustos in die extremi Iudicij , cum "
 ipse rationem reddet , cur cœlorum regnum eis "
 tradat , dicturos : *c Domine , quando te vidimus ho-* " c Mat. 25
spitem , & collegimus te &c. ita , inquam , ei dicit ani- " 27.
 ma : Domine , quæ tibi obsequia præstiti ; Domi- "
 ne , quando tantum bonum ego sum pro merita ? "
 Tertio , inde exit anima nec sua , nec alicuius alte- "
 rius sed tota eius , qui est omnia , iuxta illud Dau- "
 dis : *d Vnam petij à Domino hanc requiram , vt in-* " d psal. 26.
habitarem in domo Domini : quoniam abscondit me in " 4.
tabernaculo suo &c. Immixta illuc animæ incipit "
 Deus illucescere , seseque ostendere ; ibi indulget "
 illis & illa iucundatur , a c tenerescit , quod se ipsam "
 vt talem aspiciat , cogitetque de ijs , quos propter "
 ipsum Dominum multo plus diligit , quam pro- "
 pter ipsos , aut si essent sui. *Quarto* , quod cogitans , "
 an Dæmon eiusmodi benedictionem fingere pos- "
 sit : non potest anima sibi persuadere , rem , à qua se "
 ita quietam reddi , & tam benè cum Deo suo com- "
 poni experitur , à malo spiritu esse. *Quinto* , ex eo "
 quod anima tunc dicat cum Sancto Petro : *e Do-* " e Mat. 17.
mine bonum est nos hic esse. Fugit omnem somno- "
 lentiam , nec orando defatigatur. *Sexto* , quod vi- "
 detur sibi experiri in se , quod Sanctus Dionysius "
 dixit cap. 1. de Mystica Theologia : quod nihil in- "
 telligens , omnem transcendat intelligentiam : "
 Hinc enim videtur sibi , nihil scire : inde tamen ad "
 nihil aliud attendere potest ; nec potest non esse "
 valde contenta cum eo quod habet : etiamsi "
 nec illud videat , aut tangat : quamuis de eo i- "
 pso magis sit certa & maiori cum claritate , "
 quam

„quàm de omnibus quæ videt, aut manibus pal-
pat.

EX his verbis ac sententijs satis apparet, quanta
tam eius intellectui lucem DEVS in Oratione
communicaret: siquidem cum ea ingrediebatur
regnum Dei, Paradisum scilicet deliciarum eius
f Rom. 14. f *Iustitiam, Pacem, & Gaudium, in Spiritu sancto*
17. & talis ex ea exibat, vt neque suus esset, neque
liorum; sed totus Dei, cum quo ita vnitus erat, vt
g I. Cor. 6. 17 g *esset cum eo vnus spiritus.* Quare afflictæ cuidam
personæ dixit ipsemet, cum sermo esset de Oratio-
ne: iam diu se in alia Regione viuere. intelligens
h Phil. 3. 20 vt existimo, de illa Apostoli, quæ dixit: h *conuersa-*
tionem suam esse in cælis. Proximum hunc fauorem
secutus est singularissimus alius, quem Deus D. N.
illi exhibuit, certum illum & securum faciens
quod peruenturus esset ad regnum illud æternum
& futurus perpetuo eius incola. Ita ipsemet Pater
aperuit Patri AEGIDIO de Mata, qui missus postea
fuit in Iaponiam, vnde bis illarum Indiarum Proce-
rator redijt, acturus de earum rebus cum Patre no-
stro Generali. Hic, inquam, Pater familiaris al-
quando cum Patre Balthassare agens de foelici e-
ius animæ sorte, quæ posset esse de sua salute cer-
ta, quæ se tot periculis ingerit, dum egregia adeo
facinora ob Dei amorem aggreditur: ei respon-
dit Pater Balthassar; ego, inquit, verbis claris &
expressis certam & securam habeo meam salutem
& hæc est insignis quædam Dei Domini nostri mis-
ericordia erga aliquos: quæ potius illis calcar ad-
dit ad currendum, quàm sit frænum, vt sistant.
Iterum, cum esset in oratione, vidit quandam Be-
torum processionem, & se ipsum inter eos. *Quam*
vltio

visionem retulit ipse Superiori suo, cum suæ conscientia rationem redderet; & eandem referunt duæ Societatis nostræ personæ valde insignes: & eiusdem videtur ipsemet meminisse in relatione superius posita, cum dixit, se repente inuenisse in quadâ cōgregatione ad beatitudinem destinata: & cohæret cum reuelatione, quam habuit S. Mater Theresia de Iesu, vt cap. 10. est dictum.

QVId autem mirum, si tales visiones habens, aliquoties in Ecstasim raperetur, vsu sensuum impedito & suspenso? semel Metinæ existentem flexis genibus in suo cubiculo, ingressus quidam Pater inuenit stupendo quodam splendore circumdatum, indicium eius, quem habebat interius: & iterum frater, qui eius cubiculi curam habebat, ingressus, inuenit absorptum & à sensibus alienatum: ita vt nec exeuntem, nec intrantem Pater aduerterit. Vt autē ipse Pater ad se rediens aduerteret, ab aliquo se fuisse deprehensum, cooperuit frater eius faciem strophio, & ita exiit. quæsiuit ergo Pater postea à fratre illo, num sciret aliquem esse in ipsius cubiculum ingressum? cui cum frater fateretur se ingressum fuisse, iussit eum cælare, quod vidisset. Iterum cum Salmanticæ studeret, aspiciens crucifixum, quem ante se habebat, mansit eleuatus extra se: euenitq; illi ab altero fratre idem, quod nunc de altero retulimus.

PATER Gasparus Asterius in hac prouincia notissimus, retulit, quòd cum ipse Minister esset in Professu domo Vallis-Oletanæ, S. hic P. Balthassar ægrotasset: quem cum Infirmarius vesperi utcumq; bene dispositum reliquisset; mane illū absq; vllò sēsu, & quasi mortuū inuenisset: vocati medici

non

non aliud existimare potuerunt, quàm quod esse aliquod deliquium: mansit autem eodem modo vsque ad vesperam: & tunc appositis Reliquijs sanctæ Crucis, & alijs, quæ in illa domo sunt, statim ad se redijt; & loquebatur sicut alias, quod nihil mali passus esset. Ex quo omnes colligebant, non animi deliquium, sed Raptum fuisse, quales in profunda sua oratione habere consueuerat. Et cum alia vice ægrotaret, idem ei accidit: sed cum ipsum ligando torquerent, non ad se rediret, nec tamen faceret, miserunt proprium tabellarium Metinam, vnde recens venerat, interrogatum, quinam ille morbus esset, & an alias laborasset: & acceperunt responsum, ne villo remedio erga eum vterentur; nam esse Ecstases, & alias familiares, & quæ per dies etiam aliquot durarent.

DENIQUE ab eo tempore ambulabat Pater Balthassar, cum maiori, ac viuatiore fidei presentia Dei sui, recurrens continuè ad Maiestatem diuinam in omnibus rebus suis, conferens ei illo, tanquam cum suo Magistro, eiusq; directionem auxiliumque petens: quæ ratio aptissima est ad eam, quam dicimus animæ cum Deo familiaritatem, & orationem continuam.

QUARE idem Pater Balthassar dicere solebat: „ orare, est spiritum ad Deum eleuare, ei que res omnes nostras familiariter, magna que cum reuerentia communicare; & maiori cum fiducia, quam vllus indulgentissimus filius cum sua matre habere potest: & ibi omnia sua preciosa, & vilia; celestia, & terrena; quod multum est, & quod modicum cum suo Magistro ac Domino agere, &

conferre; cor suum aperire, totumque illud ita
 effundere, ut nihil intus remaneat; aperire illi la-
 bores suos, peccata, desideria, & quidquid in ani-
 mo habuerit; & cum eodem solatium & requi-
 em habere sicut amicus solet cum amico, cui fidit;
 cui omnia sua aperit, bona & mala. Hoc est, quod
 Scriptura divina appellat *effundere sicut aquam* *Thre. 2. 19.*
cor ante conspectum Domini, non ait, sicut oleum,
 cuius pars aliqua vasi adhærescit; sed sicut aqua,
 quæ tota effunditur; manifestando scilicet Deo
 non solum magna, sed etiam parua. cum enim di-
 uina eius Providentia omnia gubernet; sine cu-
 ius auxilio nihil boni, magni, aut parui effice-
 re possimus, magnæ prudentiæ est, omnia cum
 Deo conferre, à quo, quidquid rectum in eis erit,
 proueniet.

S. II.

EX frequenti hac cum Deo Domino nostro
 familiaritate prouenit, ut alias quoque gra-
 tias donaque reciperet, quæ plurimum eum
 iuuerunt ad ea, quæ postea in bonum proximorum
 fecit. Fuit autem inter alia insigne donum confi-
 dentiæ, & efficacitatis in petendis & obtinendis à
 Deo D. N. rebus tam sibi quam proximis necessa-
 rijs, quemadmodum ipse in suo libello notauit,
 dicens: quod cum semel orationem instituisset
 circa illa verba Christi D. N. a *petite, & accipietis.* *Matt. 7. 7.*
 intellexit è cælo ex alto, D. N. nolle, nos esse par-
 cos in petendis donis & gratijs ab ipso: nam talè
 parcitatem esse Dæmonis tentationem. Et cum se-
 mel aliquid peteret pro quodam indigente, audi-
 uit sibi dici: *cur tu es in petendo parcus. si Deus est in*
dando

dando liberalis? quasi insinuaretur ipsi, ut etiam pro alijs indigentibus peteret. Et alia vice patens foelicem cuiusdam negotij exitum, audiens hæc verba: *ego te tanquam Rex iuvero*. & inuenit in illa occasione, & sæpè aliàs, nam orante ipso adeò feruenter pro alijs necessitatibus, priusquam ab Oratione surgeret, cæcus reddebatur de earum remedio, siue per expressam reuelationem, siue per internum aliquem instinctum, quo assurebatur: quem in illis

Coll. 9. c. 31.

ctum, ait Cassianus, indicium esse exaudiri Deo orationis: cuius rei inferiùs plura ponemus exempla.

Tunc etiam largitus est illi Deus, quod in Scientia & Eruditione deerat, quam propria industria comparare non potuit: quod ipsemet in relatione insinuauit, & clariùs aperuit patri Iohanni Pinædio, qui ex Collegiali Collegij Ouerentis Salmanticæ factus est Societatis, qui cum Gradum in Iure suscepisset, studia Philosophica ac Theologica aggredi horrebat, veritus, ne non posset bene proficere. Quem ut P. Balthassar animaret, & cõfidendum Deo, quòd ille ipsius industriz defectus suppleturus esset, retulit ei confideter: quòd cum ipsemet tristis ac sollicitus esset, eò quòd occupationes multas dum studeret, & etiam potius quam factus esset Sacerdos, non fuisset adeò studiis intentus, atq; opus fuisset: ideoq; Scholasticarum scientiarum defectum esset experturus in Ministris Societatis circa Confessiones, & Conciones, cum tamen diu se in oratione exercuisset, extempore die quodam sensisset extraordinarium quoddam lumen in intellectu, quo Scholasticas veritates,

tes, & Theologicas Conclusiones adeò perspicuè intellexit, atq; si multos annos, magnamq; diligentiam in eo studio posuisset: & ab eo tempore adeò impressas menti suæ veritates illas mansisse, vt nūquam amplius, solitum earum defectum sentiret. Et cuidam alteri graui Patri dixit: gratiam sibi à Deo concessam intelligendi Scripturam diuinam, & Materias Morales: & à quo die hanc gratiam acceperat, abiecit timorem, propter quem aliàs non audebat esse absq; aliquo viro valde docto, cum quo liceret statim occurrentia sibi dubia conferre. Et aliàs cum sermo de hac re incideret, dicere solebat: ego non multum polleo acumine intellectûs, & studiorum: sed ex familiaritate cum animabus pijs, lectione Sanctorum, & frequenti oratione largitus mihi est Deus intelligentiâ Scripturæ sacræ. In quibus verbis tres coniunxit fontes, ex quibus scientiam Spiritûs eminenter hauserat ad res internas, & spirituales cognoscendas: lectionem scilicet Sanctorum, qui eas experti, scriptas reliquerunt: familiaritatem, & consuetudinem cum animabus, quæ illas sentiunt, & experiuntur; & orationem, ac familiaritatem cum ipso Deo: & hæc fuit præcipua, cum ad eam peruenit excellentiam, quæ fuit illi eo tempore cõmunicata, non solû ob experiētiam, quam habuit earû etiam valde excelsarû; sed ob lumē, quo Deus illû illustrabat, vt eas cognosceret ac discerneret.

quæ lux fuit instar luminis prophetici, quod (vt *Homil. 1. in Ezech. 2.2.9.171. d.* ait S. Gregorius, quē secutus est S. Thomas) duas res, solius Dei aliàs proprias manifestat: occulta scilicet cordis humani; & res futuras: & in *1. Cor. 14. 25* vtraq; hac re illustrauit Deus hunc seruum suum: *Isa. 41. 23.*
inter-

S. Tho. 2. 2.
q. 172. 8 2.
ex S. Diony.
c. 4. de cœ-
lesti Hierar.

interdum reuelans illi cordium secreta eorum quibuscum agebat, vt eos rectè deduceret: cum reuelationes propheticae fiant per Angelos qui earum personarum custodes erant, res quas ad eas spectantes Patri huic reuelabat: quemadmodum in capite sexto est dictum: Interdum etiam futura, & quae à nostra voluntate dependent, illi reuelabat, vt securos eos redderet, quorum intererat, ita euenturas. Horum omnium plura exempla in sequentibus capitulis subiiciuntur.

CAPVT XVI.

ORATIONIS SVAE EFFICACITATE METINA, & ALIBI MULTA FECIT IN PROXIMOS ADMIRATIONE DIGNA: TUM MANSUETUDINE MULTORUM CORDIS SECRETORUM; TUM PREDICTIONE RERUM FUTURARUM.



VAMVIS mutatio Patris Balthassaris ex Abula Metinam, ad alia Collegia praecipue dirigeretur ad spirituales studiorum profectum: eius tamen charitas non alligabatur ad solos domesticos; sed exercebat se etiam ad externos, in quibus notabilem faciebat fructum, duplicibus suis armis, Orationis, scilicet, & sermonum siue Colloquiorum de Deo